



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Cap. XII. De Ecclesiis, Capellis, Oratoriis, Altaribus, Hospitalibus,
Sodalitatibus, seu Fraternitatibus, & aliis piis locis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

non alienabo, & male alienata, quantum in me erit, recuperare studebo.

Specificationem omnium fructuum Pastoratus, cum debita designatione hypothecarum, limitum, & terminorum, intra trimestre, Reverendissimo Episcopo aut ejus Vicario tradam.

Non deseram aut resignabo Ecclesiam, mihi commissam, neque alio me transferam, sine consensu Episcopi aut ejus Vicarii.

Fructus anni, in quo me mori aut Ecclesiam dimittere contigerit, subjectione & obliquo ad deservituram, usque ad proximam sementem, mortem aut dimissionem meam proxime subsequaturam. Sic me Deus &c.

C A P. XI. De Testamentis Clericorum.

¹ c. cum in officio. De testam. & ali. vol.

I Cvm in officii ¹ charitatis ac piæ remunerationis, primo loco illis teneamur obnoxii, à quibus beneficium nos cognoscimus recepisse; facile intelligunt omnes Ecclesiarum Nostrarum Clerici & Beneficiati, qui de Ecclesiæ stipendiis ac redditibus vivunt, ut de iis, quæ & justa suarum rerum dispensatione supersunt, in supremæ voluntatis declaratione non ex carnali affectione sed pro Ecclesiæ Dei utilitate ² disponant. Licet enim, refrigerente charitate, & cupiditate ac cura carnis succrescente, paulatim irrepsisse videatur, ut Clerici etiam de acquisitis per Ecclesiam testentur; attamen magno salutis periculo conjunctum est, ut, mox ad Tribunal Christi rapiendi, deque omnibus usque ad extremum quadrantem rationem reddituri, carnem & sanguinem Christo & ejus Ecclesiæ ac pauperibus præponant; magis vero securum, voluntati & gloriæ divinæ, rationi & animarum salutari consentaneum, ut, quæ ipsis ex patrimonio Christi & bonis Ecclesiasticis (quorum Procuratores, ³ Administratores ac dispensatores dicuntur & sunt) post honestam ipsorum sustentationem supersunt, ea in pios usus convertant, ac in cælum præmittant, in thesauris cælestibus invenienda, & præsertim Ecclesiarum (quibus adscripti sunt) pauperum, aliarumque piarum causarum rationem habeant; ne, dum forte consanguineos suos ex bonis Ecclesiasticis temporaliter locupletare contendunt, rectum charitatis & obligationis ordinem invertant, & sibi aliisque damnationem acquirant.

² Inter cætera vero pia loca vehementer commendamus omnibus, testari volentibus, Seminarium nostrum Pastorum, quod pro Dice-

cesis Nostræ necessitate & utilitate erigere meditatur, ut supra parte 1, c. 6, de Seminario monuimus; ad quod omnes, pro modo facultatum suarum, aliquid relinquunt. Quod si ab aliquo neglectum fuerit, illud Executores ex hæreditate supplere tenebuntur.

³ Quoniam vero in voluntatibus extremis, præsertim ad pias causas tendentibus, Episcopus supremus est quasi Executor, cui providendum est ut secundum defuncti desiderium omnia fideliter fiant, ac non raro contingit, ut tam Clericorum quam Laicorum testamenta & extremæ voluntates, & præsertim ad loca sacra & pios usus legata & testata, dolosis machinationibus varie impediuntur & retardentur: Hinc universis Nostræ Diocesis tam Ecclesiastici quam Politici status hominibus gravissime, & sub Canonicis Censuris ac pœnis, præcipimus & mandamus, ne quarumcunque personarum, quos jura à Testamenti factio non repellunt, Testamenta, Codicillos, Legata, ac alias legitimas voluntatis declarationes, præsertim ad pios usus sese extendentes, earumque executiones, quovis modo negligant, impediunt, aut retardent.

⁴ Qui in Clericorum Testamentis Executores deputantur, sive Clerici sive sæculares fuerint, præmissa eorum exhibitione & approbatione, ab Officiario Curiæ Nostræ Episcopalis factæ, fideles sint ac diligentes in exequendo. Legata omnia, præsertim ad pias causas, statim persolvant, & intra annum Testamentum executioni mandent, Nobisque vel Vicario Nostrò, ad Nostram vel ejus requisitionem, de omnibus & singulis rationem reddant; nisi res ad iudicium seu contentiosum forum sit deducta; quo casu, Officiali Nostrò decisio relinquatur. consuetudinem tamen, à Capitulo Nostrò Cathedrali, quo ad suos de gremio, hæctenus observatam, non immutamus.

⁵ Repetimus quoque, ac firmiter observari volumus, quod de prohibitione Legatorum, institutione, ac donatione, à Clericis, Concubinæ ac aliis personis turpibus non faciendæ, à Prædecessore Nostrò statutum est; idque nec sub fictitiis nominibus, nec per substitutos aut interpositas personas, admittimus, sub expressis & aliis pœnis Nobis arbitrariis.

C A P. XII. De Ecclesiis, Capellis, Oratoriis, Altaribus, Hospitalibus, Socialitatibus seu Fraternitatibus, & aliis piis locis.

I Similiter cum Prædecessore Nostrò declaramus, Nostrum Iuris Ecclesiastici & Episcopalis esse, Ecclesias, Capellas, Oratoria, Altaria, Hospitalia, & alia quæcunque pia & Deo dicata loca per Diocesan Nostram, in quibuscunque locis Civitatum, Opido-

c. si hered. c. tua nobis. c. si Iohan. De Testam. Conc. Trident. sess. 22. c. 8. de ref. aut. l. licet. c. De Episc. & Cleric.

² c. placuit, & seq. 12. q. 3. c. 1. & 3. end. q. 4. c. 1. & c. fixum 12. q. 5. c. cum in officio. c. adhat. c. quia. c. rel. De testam. tit. De pecul. Cleric. s. c. 2. De donat. cum similib.

c. 8. §. 3.

c. omnes basilica 16. q. 7. Clem. quia contingit. De relig. dom. Concil. Trid. sess. 22. c. 8. de refer.

pidorum, Pagorum, Agrorum, Arcium, Domorum, sive illa extent sive per injuriam temporum ac hominum diruta sint aut conciderint; item, quæcunque ad hujusmodi pia loca à Majoribus Christi-fidelibus olim deputata & ad servitium divinum applicata semel fuerunt, sive mobilia illa sint sive immobilia; quæ declaramus, sine sacrilegii reatu ab aliis hominibus detineri vel usurpari non posse. Horum vero omnium restitutionem & restaurationem & omnimodam dispositionem secundum Decretum Concilii Tridentini nobis reservamus, diligentem vero indagacionem Nostro in spiritualibus Vicario committimus, omnesque & singulos Nostros subditos, maxime vero Ecclesiasticos, sub pœnis aliis in jure expressis, de rerum Ecclesiasticarum detentoribus, eorumve fautoribus, monemus & requirimus, ut, quicquid harum rerum ad notitiam devenierit, id Nobis aut Nostro in spiritualibus Vicario designent ac significant.

2 Mandamus etiam omnibus & singulis ad quos ea res pertinet, ut Tempora, Ecclesias, Capellas, Oratoria, Ossaria, & similia loca sacra, diligenter restaurent, ac facta tecta conservent. contra negligentes vero Nos ad damnorum restitutionem, & aliis pœnis, procedemus.

3 Si quæ Sodalitates aut Fraternitates in honorem Dei aut Sanctorum ex præcedentium temporum injuria relictae sint, quæ institutionem piam habent, eas in probato usu permanere volumus, sublato omni abusu, maxime si census & redditus in commensationes impendantur, quos magis conveniet in usus pauperum, Ecclesie aut Parochi, converti. Harum autem Sodalitatum ac Fraternitatum institutio ac forma à Nobis aut Nostro Vicario examinanda; ac, quod redditus quotannis coram Parocho rationibus supererit, ad usus Ecclesie & pauperum convertendum erit.

C A P. XIII. De rebus Ecclesie conservandis & non alienandis.

1 Diligentem porro curam & rationem ab omnibus Prælati, ac iis quorum interest, institui volumus, ut ea, quæ à Majoribus Nostri in pios usus donata, legata, & alio modo concessa & Ecclesie acquisita sunt, Nostri temporibus non intereant, & quæ præcedentibus temporibus interversa sunt, iterum ad rectum usum & dominium Ecclesie redeant. Mandamus itaque omnibus & singulis, Præpositis, Decanis, Abbatibus, Prioribus, Abbatissis, Priorissis, Collegiis, Clericis, & Beneficiatis, Pastoribus, Curatis, Vicariis Civitatis ac Diocesis Nostre Osnabrugensis, omnibusque piorum locorum administratoribus, ut Ecclesie bona strenue defen-

dant, & si aliqua norint Ecclesie esse sublata aut detracta, ea pro virili recuperare conentur, Nostrique desuper consilium & auxilium in necessitatibus suis implorent.

2 Nulla vero bona, seu redditus, proventus, & jura Ecclesiastica vendant, obligent, aut quocunque modo in perpetuum vel ad longum tempus contra Canones alienent elocentve, sine speciali Nostri facultate, & cum plena causæ cognitione, num hujusmodi venditiones, alienationes, obligationes, in evidentem cedant Ecclesie utilitatem. Si quis contra aliquid attentaverit, ipsos contractus invalidos & nullos de jure decernimus, nihilominus contra transgressores ad canonicas pœnas processuri.

3 Similiter mandamus omnibus Pastoribus & Provisoribus Ecclesiarum, maxime ruralium, ne nomine Ecclesiarum ullam litem inchoent ipsi pro juribus Ecclesie, aut etiam excipiant vel patiantur, sine Nostro aut Nostri in spiritualibus Vicarii præscitu; si quas vero nunc lites judiciales aut controversias cum quolibet habeant, eas Nobis aut Nostro in spiritualibus Vicario intra semestre indicent.

C A P. XIV. De Provisoribus Templorum & Fabricæ.

1 Provisoribus ædilibus seu structuariis Ecclesiarum & Capellarum idem junctum volumus, quod Prædecessor Noster in Synodo Osnabrugensi statuit; qui viri Catholicici, providi, idonei, ac boni testimonii sint; quorum officii erit, ut, quasi Tutores ac Curatores templorum, omnes census ac redditus ad fabricam pertinentes diligenter colligant ac recipiant, fideliterque expendant; Ecclesie, turris, campanarum, sacrorum vasorum ac vestium, aliarumque rerum quæ ad Ecclesiam & Fabricam spectant, curam habeant, vinum, oleum, ceram, thus, & alia ad officium divinum necessaria, tempestive procurent, Parochis suis (quos Nos tanquam Ecclesiarum & Ecclesiasticarum rerum superiores Procuratores declaramus) requirentibus, necessaria, in iis quæ ad officium divinum pertinent, ministrare non detrectent; quæ sordida sunt, mundari, quæ fracta vel corrupta refici ac sarciri diligenter faciant, rationes ministerii sui singulis annis coram Pastore ac deputatis facere teneantur, eaque in singulari cista templi repellant, ut, requisiti, omni momento exhibere possint. Negligentes in his, Parochi Nobis aut Vicario Nostro denuncient.

2 Habeatur in singulis Ecclesiis cista, in qua literæ reddituum, jura & pecunie fabricarum, conserventur, sub trium clavium clausura; quarum unam Parochus, reliquas duas alii duo Provisores habeant. Volumus etiam, ut iidem con-

c. prædial.
c. non liceat. cum
seq. 12.
q. 2. tot.
tit. ext.
in 6. &
Clem. De
reb. Eccl.
non alien.

c. quod
quis 35.
q. 9. c. si
quis Presb.
De reb.
Ecclesiarum
alien. c.
in. extra-
vag. eod.

Cap. 27.

sess. 21.
c. 7. de
ref. sess.
22. c. 11.
de refor.